


HENRICVS I
comes de Aslo
XIV,
EPISCOPUS PADERBORN.
Annus Christi 1084.

Gregorij VII Pont. 12.
Henrici IV Regis 29. Imp. 1.
Henrici I Ep. Pad. 1.

Conturbatus Germania status propter diversa schismata.



Henricus
I. Comes
de Aslo
eligitur
Epis. Pad.

Quem à morte Popponis prosequimur annum Christi M^lxxxiv, is nos cum sequentibus duobus Episcopis deducit ad conturbata religio-
nis tempora. Nam postquam Henricus, Rex
impius, ausus est Gregorium vii, verum & Or-
thodoxum Pontificem, è Cathedra Petri, per
vim armorum deturbare, & in ejus locum Cle-
mentem Pseudopontificem, ingemiscere to-
to orbe Christiano, obtrudere, ortum est fœdum illud & haec tenus
inauditum schisma inter Sacerdotium & regnum: vulnere nimirum
per contagionem mali à Sede Apostolica, tanquam à capite per ce-
tera Ecclesiæ membra manante. Nam passim per Italiam & Germa-
niā Saxoniamque nostram alibi Catholici Episcopi, alibi Schis-
matici conspecti sunt. Nec & Episcopi solūm cum Episcopis, sed &
Abbates cum Abbatibus, Clerus cum Clero, & Monachi cum Mo-
nachis collisi sunt; quòd alij vero suo Pontifici, alij Pseudopontifici,
& schismatico Regi per studia partium & dissidia hæcerent. Ad hæc,
quod multo detestabilius erat, in eadem Episcopi sede simul Catho-
licus à Clero electus, & Pontificis auctoritate confirmatus: simul
Schismaticus, à schismatico Rege obtrusus spectabatur. Ejus fœdæ
rei exemplum in nostra quoque Paderbornensi Ecclesia. Nam post
obitum Popponis Episcopi nostri, Hermanni Catholici Regis nomi-
natione, Cleri consensu, & Legati Pontificis auctoritate, quem Gre-
gorius